



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

**Luca, Giovanni Battista de**

**Coloniae Agrippinae, 1690**

Disc. CXXVII. Ianuen, fideicommissi de Levantis. An substitutio vulgaris  
concepta in casu non nativitatis seu non existentiaë, contineat etiam sub  
se fideicommissariam in casu existentiaë & mortis; Et ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

hensis sub vulgari vel compendiosa ordinata per patrem, dum nuntium rari sint casus, in quibus agatur de eadem pupillari ordinata ab avo, & in qua intret existentia patris in medio.

Atque patris favore intrare debere dispositionem textus in dicta l. finali; videbatur ex dicta ratione, sed etiam fortius ex ratione textus in l. cum avus ff. de condit. & demonstr. Et l. cum avus ff. Cod. de fideicommissis, quæ rectè congruere videtur, dum pater, qui est in medio, est testatoris filius, verisimiliter magis dilectus in bonis nepoti relictis, quam sint substituti, quamvis ejusdem testatoris descendentes, dum morienti sunt transversales, unde si dictum effectum operatur existentia matris, quæ solum approximat pupillo gravato, omnino verò extranea est à testatore, cujus nullam proximitatem vel dilectionem habet, multò magis & absque dubio id dicendum est in patre, nedum habente eandem proximitatem erga gravatum, sed etiam habente majorem proximitatem ac dilectionem testatoris; Ac etiam quia incongruit ut pupillus 7 reincident, testetur, ut eum facere lex fingit erga pupillarem substitutum ob testamentum quod pro eo parens fecit, cum filii familias non testentur, & sic plura urgent suadentia pupillarem tacitam impediri longè fortius ab existentia patris, quàm ab illa matris; Et hoc stante inanis labor videbatur assumere quæstionem quam disputant DD. relati per Fusar. qu. 158. an eundem effectum operetur existentia fratris vel fororis, cum haberemus casum minus dubitabilem existentie utriusque parentis.

Item quia textus prædictus in leg. quamvis Cod. 8 de impub. Et. ad litteram excipit casum, in quo de diversa testatoris voluntate constaret, ibi si modo non contrariam defuncti voluntatem extitisse probetur, & quam voluntatem sufficere præsumptam seu conjecturalem videtur magis communiter receptum ex collectis per Fusar. dicta questione 28. num. 10. Et 37. In hac verò specie plures conjecturæ concurrere videbantur hanc voluntatem suadentes, ad quas tamen recurrere non erat opus, dum videbatur quod adesset voluntas expressa excludens, nedum pupillarem, sed etiam fideicommissariam; ob illa verba, remanbino liberi al detto figlio d figli, cum verba libertatem denotantia incompatibilia sint cum substitutione importante servitute, quæ de directo libertati adversatur, ex iis quæ in proposito hujusmodi verborum habentur supra in Rom. restitutionis dotis disc. 109. & ex his aliqua difficultas adesse videbatur circa pupillarem.

Eademque difficultas adesse videbatur circa tacitam fideicommissariam contentam sub eadem vulgari; licet enim reprobata opinione Oldradi conf. 177. Et sequacium, magis communiter receptum, sit ut substitutio ordinata in casu, ut quis filios non habuerit, locum quoque habeat in casu quo habuerit, sed gravato prædeceserint, ita ut verificetur conditio seu effectus à testatore volutus, quod gravatus decedat absque prole, attenda purificatione conditionis de tempore mortis ex plene collectis per Rot. decis. 12. num. 9. Et sequen. par. 9. recen. & habetur supra ad materiam dicti consilii 177. disc. 90. Et alibi; Attamen videbatur, quod non esse in casu, cum id procederet, quando substitutio facta esset ipsi Cajo filio sub conditione non procreationis filiorum, quæ ita juxta hanc magis communem & receptam opinionem purificari dicitur, quamvis hæres gravatus filios procreasset, qui sibi

prædecesissent; Verum hic non erat casus si præmissa excludunt pupillarem tacitam per rationem fideicommissariam quoque excludentur, stantibus præsertim dictis verbis libertatem denotantibus, cum magis de servitute tacite pare dicatur, magisque odiosa sit substitutio quam seu fideicommissaria quam sit pupillaris; potius favorem continere dicitur, ut in pro quo pater vel avus testatur decedere, testatus, quod absque dubio favorabilis est decedere intestatus, Ac etiam quia substitutio pupillaris potius primus quam secundus hæres videtur.

Cogitabam, an intrarent termini Socini in l. solemus num. 6. de condit. & demonstr. qua pluries supra in præcedentibus, Antiquum verbum non extantibus includat casum, quæ & postea deficiant, sed videbatur neque in Tum ob dicta verba libertatem denotantem. Tum etiam ob existentiam utriusque parentis quæ si excludunt pupillarem magis favorem multò magis excludere debent fideicommissariam magis odiosam ut supra, ac etiam quia non concurrere restrictio ad tempus determinationem juxta distinctionem, de qua late apud Bonac. 689. per totum cum aliis supra in America disc. in aliis, in quibus in ista theoria tractatus; Item omnia in sinuabam in simplici forma, ad quæ, reservando maturius judicium, ad quod casu hucusque non præbit procedere.

## I A N V E N F I D E I C O M M I S S I D E L E V A N T I S

Responsum pro veritate, incertum est  
qua parte.

An substitutio vulgaris concepta in casu non natiuitatis seu non existentie, contineat etiam sub fideicommissariam in casu existentie mortis; Et an substitutio facta in casu qui scriptus est hæres in testamento repetita censeatur alteri institutio codicillis cum revocatione prioris institutionis, vel potius revocata substitutione, revocata etiam certum substitutio.

### S Y M M A R I U M

- 1 Fictories.
- 2 Quod dispositio simpliciter concepta in casu mortis contineat compendiosam compendiosam fideicommissariam, etiam si non agatur pro quocumque.
- 3 Regulariter substitutio præsumitur vulgaris in casu fideicommissaria.

- 4 In vulgari si prima institutio effectum sortitur omnes substitutiones corrumpunt etiam si plures.
- 5 Quod secunda dispositio sit similitudinaria prima, ut substitutio facta illi huic etiam conveniat.
- 6 Quomodo in hac materia iudicandum sit. Et ad quid attendantur doctrina, Et decisiones, attendendo principaliter substantiam voluntatis.
- 7 Quomodo dicatur constare de voluntate in casu controverso.
- 8 Recensentur conjecturae excludentes fideicommissariam Et quod substitutio sit solum vulgaris.
- 9 Praescriptum prohibens ad ministracionem post minorem aetatem potest sperni.
- 10 Ex Statuto Ianuae hereditas etiam codicillis admitti potest.
- 11 Quod substitutio adjecta uni substituto conferatur repetita alteri in eius locum subrogato in codicillis.
- 12 Fortis ubi testator in codicillis expresse confirmavit testamentum.
- 13 Quid prosit regulam assistere, vel resistere, ad effectum conjecturarum.

## DISC. CXXVII.

**D**ominicus Levantus, unicum habens filium masculinum Ioannem Andream bannitum, heredes instituit filios à dicto Ioanne Andrea per legitimum, matrimonium procreandos, His autem non procreatis, substituit Battinam filiam pro medietate, & quatuor ex fratre nepotes pro alia medietate; In codicillis autem, mutato consilio, revocata dicta institutione de filiis nascituris, instituit eundem Ioannem Andream, si & postquam liber erit à banno, dictaque institutione effectum sortiente, substitutionem illi adiecit in casu delicti, ob quod fieret locus confiscacione, vocando tunc eiusdem Ioannis Andreæ filios, quatenus existerent, si minus eo modo quo supra, pro medietate Battinam, & pro alia medietate dictos ex nepote fratres; Cum autem dictus Ioannes Andreas in gratiam restitutus, dicta hereditate obtenta, atque donec vixit possessa obiisset absque filijs, quos nunquam procreavit; Hinc orta est dubitatio. An dicta substitutio ad favorem Battinæ filiae, ac aliorum ex fratre nepotum subsisteret, vel potius per dictam additionem evanesceret, seu aliàs per mutationem heredis revocata fuisset, ita ut bona remansissent libera in eiusdem Ioannis Andreæ hereditate, ad favorem legitimi vel testamentarij heredis; Quare desuper, incertum est ex qua parte, pro veritate consultus.

In tribus diversis responsis desuper datis, juxta quaesitorum opportunitatem, ac excitatas difficultates, duo erant puncti; Vnus, an dicta substitutio facta in testamento filijs nascituris dicti Ioannis Andreæ ibi institutis esset per solum vulgarem, vel contineret etiam fideicommissariam; Et secundo, quatenus contineret etiam fideicommissariam, An ea censeretur revocata per revocationem institutionis heredis in codicillis ut supra factam; Super hoc autem secundo principaliter consultus sui praesupponendo in notulis transmissis quod esset substitutio fideicommissaria, quæ adhuc duraret, quæsi quod ad eum difficultas restringeretur; Cumque ego desuper respondendo advertissem, majorem difficultatem residere in altero puncto non tacto, An scilicet dicta substitutio contineret necne praesuppositam fideicommissariam, idcirco denuo pro consilio requisitus fui.

Quatenus igitur pertinet ad hunc punctum, super natura seu qualitate substitutionis, An scilicet

Card. de Luca de fideicom.

censilla contineret simplicem vulgarem, vel potius etiam fideicommissariam, cum mihi communicata essent responsa plurium insignium, ac primi ordinis huius Curiae Advocatorum edita super hac eadem dispositione, opinantium subselle fideicommissariam ex regula generali, quod substitutio simpliciter concepta sub conditione mortis, utpotè respiciens quodcumque tempus, importet compendiosam, quamvis non adellet verbum *quandocumque* juxta veriorum, ubique, praesertim verò in Rota & Curia, receptam sententiam, rejecta contraria considerante pernecessè dictum verbum *quandocumque*, & consequenter, quod posita compendiosa, ista contineret nedum vulgarem sed etiam fideicommissariam, juxta panè infinitas auctoritates ac decisiones satis vulgares, quas desuper habemus in eisdem responsis diligenter, magis & minus respectivè juxta eorundem Respondentium diversum Laconicum vel Asiaticum stylum collectas.

Non potui tamen in obsequium eorum auctoritatis captivare intellectum, ideoque contrarium credidi probabilius, quod scilicet hæc substitutio esset potius per solum vulgarem, qualis in dubio praesumenda est, quoties in contrarium non urgent conjecturae vel alia facti circumstantiae diversam testatoris voluntatem suadentes juxta receptam theoreticam *Cum in l. cum in a. s. infideicommissio ff. de leg. 2. secundo, & l. gallus s. quidam recte ff. de liber. & posthum.* & firmat communiter scribentes ad nimiam satietatem collecti per *Cyric. controv. 32. no. 93.*, qui loco omnium sufficit, atque per petuò firmavit Rota, praesertim apud *Gregor. decis. 123. & 207. in Bonon. praesenti fideicommissi 7. Junij 1647. Ghislerio, alia Bonon. fideicommissi de Pinchiaris 28. Martii 1659. Priolo*, quæ saepius in alijs canonizata, circumferuntur in Curia tanquam magistralis super dicta conclusione, ac super altera, quod posita vulgari, etque defecta, omnes alia corrumpunt, quamvis earum longus ac reiteratus digressus adesse, ubi sunt consecutiva, ut plures in praecedentibus.

Ideoque cum attento testamento, substitutio facta esset in casu quo filij nascituri non nascerentur, & sic absque dubio per solum vulgarem, praefato autem Ioanni Andreæ nulla esset adjecta substitutio, sed solum ex fictione legis repetita censeretur eadem, quæ facta erat primo heredi, in cujus revocati locum ipse successus est, juxta ea quæ habentur infra in secundo puncto; Hinc proinde inferebam istam substitutionem manere solum similitudinariam, ac eiusdem naturæ ex regula *subrogatorum* &c; Porissimè dum, tam ex testamentaria, quam ex codicillari dispositione resultare non videbantur conjecturae vel circumstantiae tales, quæ dictæ regulae limitationem suaderent, sed potius ut infra urgerent conjecturae in contrarium.

Verum quia genio ac stylo adversum esse consuevit, in ista praesertim materia ultimarum voluntatum iudicium, efformare cum solis regulis ac propositionibus generalibus, seu cum doctrinis & decisionibus alios diversos casus percussentibus, cum id pro meo sensu erroneum sit, attendi siquidem debent doctrinae, ac propositiones solum pro norma regulandi iudicium in casu controverso, qui ex eius particularibus circumstantiis, ac pro facti qualitate decidi debeat, habendo potissimum praes oculis ac pro principali fundamento illam propositionem, quæ hujus materiae videtur petra angularis, ut scilicet non cortex & figura verborum, sed substantia verisimilis voluntatis attendi debeat de iure ex toto dispositionis contextu, neque non ex locorum, temporum, per-

sonarum, & bonorum qualitate, aliisque circumstantiis, ut plenè ceteris relatis advertitur per doctum ac elaboratum *Cyriac. contrav. 478. num. 18. cum sequen.*, ubi ad plura infert, & dicit etiam sapius Rota, præsertim apud *Orthob. dec. 254. n. 15. & 16.*, & ego satis frequenter adverteo.

Indagando igitur verisimilem hujus testatoris voluntatem, eiusque substantiam, ponderabam dictam facti seriem, quod scilicet cum testator unicum haberet filium masculum, quem in substantia heredem, suorumque bonorum successorem cupiebat, sed tunc habere non poterat ob illius incapacitatem à banno capitali resultantem, sive ab ipso opinatam, propterea quatenus extrà bannientis jurisdictionem uxorem duceret, ac filios procrearet, istos vocavit, eis autem non procreatis, atque retento præsupposito, quod idem filius in statu banni & incapacitatis decederet, tunc volens in parte consulere proprio sanguini ac descendentiæ, ac in parte agnationi, prudenter ad medietatem vocavit filiam, & ad alteram nepotes ex fratre, in effectu tanquam primos hæredes, cum præsupposito, quod dictis filiis non procreatis, dictoque filio in statu incapacitatis perseverante, aliis absque hærede obiturus esset; Atque ista mihi videbatur propria & germana hujus testatoris voluntas, non autem quod ad favorem filii & nepotum, fideicommissio etiam restitutorio in casu mortis impediens liberam bonorum dispositionem, gravare voluisset ipsum Ioannem Andream filium, quatenus in gratiam restitutus, hæres efficeretur, sive eiusdem filios respectivè.

Clarius verò in hanc sententiam deveniebam ex pluribus conjecturis & adminiculis dictam fideicommissariam excludentibus, illa considerando simul juncta cum consueta & vulgari regula huic materiæ connaturali, ut *singula que non profunt &c.*

Primo siquidem, dum testator, tam in testamento quam in codicillis, nullam adjecit prohibitionem alienationis, licet enim ista necessaria non sit pro fideicommissio inducendo, cum illo posito ea inesse censetur ex juris dispositio, ut tamen attentio communi seu frequentiori usui, quod quando testatores ordinant fideicommissum, illam adjicere solent, negari non potest, ex ejus omissione resultare aliquod argumentum seu adminiculum, quod est leve, cum aliis tamen junctum considerabile videtur.

Secundo foriter ex fideicommissio in codicillis expressè facti ipsi Ioanni Andreæ quatenus sua substitutionis casus fieret in solo casu delicti, ita enim nimis fortem resultare observabam conjecturam, quod testator in animo non habuerit aliud ordinare fideicommissum in casu mortis, nam verisimiliter id etiam expressisset, atque huic casui quoque providisset, sicuti providit in altero.

Tertio in idem, quia præsupponendo filium restitutum & capace, ac successivè jam heredem, illi interdixit liberam administrationem usque ad ætatem 30. annorum neque ulterius progressus est, cumque hujusmodi prohibitiones post majorem ætatem, quoties non sunt in gratiam & favorem tertii non sint obligatoria, sed sperni possint juxta celebre *conf. 131. Castrens. lib. 1. cum concordant. per Gratian. discept. 488. n. 2. Thor. in compend. decis. par. 3. verb. administratio*, Hinc proinde observabam resultare coniecturam, quod testator non habuerit in animo alium sibi dare substitutum in casu mortis, dum ad validandam dictam prohibitionem, id expressisset.

Quarto quia eiusdem Io. Andreæ filius in conditione ponere negligit contra omnem veritatem ordinem quando id in animo habuisset; Et quoniam tum fortissimè atrecta consuetudine hujus provincie, ubi alibi hoc eodem titulo dicitur, quod scilicet, exceptis feudis, & consuetudinibus palatii & villis, in reliquis bonis adici non debet fideicommissa impediens liberam bonorum dispositionem nisi in certa ætate, imprudens, ac dissipationibus subjecta, ut ita cum libera bonorum dispositione incumbere possint illi negotiantibus cum quibus adeo magne divitiæ comparantur.

Hinc proinde inanis remanebat in ipso altero puncto, An scilicet substitutio ut iura testamenti facta dictis filiis natiuitatis, & ad eo institutis ad favorem Battinæ filie, & ex fratre nepotum, revocata censetur ob conditionem institutionis factam in codicillis, ac tamen nem personæ hæredis, Vel potius censetur ob conditionem alteri instituto, ac subrogato in locum eius primo loco institutus erat; Supervacaneum enim erat de hoc agere, quoniam ubi etiam absolutum admittendum esset aliumque substitutum favorabile super non revocationem, sed revocationem substitutionis, Adhuc tamen nullus exinde habebat effectus, posito quod substitutio esset peremptoria utpotè jam expirata per ejus delictum conditionem ut supra dum casus successione præstituti jam effectum sortitus est, juxta plenè præsertim *suprà alleg. Bonon. fideicommiss. de Pmbianis 22. 1659. Priolo*, & in aliis insinuatis, ac palliatis juris principium absolutum.

Quatenus verò, attentio præsupposito substitutio contineret etiam fideicommissum, hoc puncto agendum esset, nulla cadente facultate super facultate adimendi in codicillis institutionem, cum id jure communi in hac facti specie permissum esset ex iure statutorio; Neglectis generalibus præmissis dubitandi quæ per Consultentes extra Curiam mitti solent, atque juxta istam strictum hujusmodi conclusivè loquendo.

Pro substitutis censui probabilius respondendum esse, ut scilicet dicta substitutio revocata non feretur, motus ex dispositione text. in *l. Cap. alimentis & cibariis legatis*, ubi clare dicitur quod onus uni personæ adjectum repetitur alteri, in quam dispositio à prima peremptoria emptæ per codicillos transferatur, per quod tunc hanc substitutionis repetitionem firmam præcie *Natta conf. 476. per tot* ubi plura deducuntur argumenta; Et quamvis *Cephal. conf. 67.* scriberet eandem causam in oppositum contrariè probare, Attamen opinionem *Natta* magis veram, ac fundamentatam dicunt *Peregr. de fid. art. 18. n. 37. & 69. nu. 7. & sequen. lib. 3. Fu. ar. conf. 11. nu. 1. de substitut. q. 451. nu. fin. Menoch. conf. 339. nu. 1. sequen. & conf. 452. nu. 1. Bellon. jun. conf. 51. nu. 1. & 37. Giovagn. conf. 36. num. 6. lib. 2. Quoniam tamen idem *Cephal. d. conf. 67.* negat oneris vel fideicommissi repetitionem, ubi dispositio transferatur una persona in aliam, sed solum insitit in ea persona in suo casu repetitio dispositio esset in ea persona juxta casum textus in *l. si tibi ff. de adim. legat. §. qui filias ff. de adim. legat. ubi dicitur**

Clarius verò in hac facti specie id observabam, stante quod testator in codicillis expressè in reliquis omnibus confirmavit testamentum tunc enim per eos non censetur à testatore recessum nisi in sola parte alterata ad textum in *l. si tibi ff. de adim. legat. ubi dicitur*

eterni. *Rota decif. 51. num. 2. par. 5. rec. & apud Buratt. decif. 168. num. 4. & sequen. & nu. 12. ubi late ex Natta. Mench. & alijs de præsumptione exclusiva mutationis voluntatis seu ademptionis, quæ per allegantem concludenter probanda est.*

Est bene verum, quod coniectura superius ponderata in ordine ad excludendam fideicommissariam in genere nimium urgere viderentur ad probandam aliquam rationis differentiam, inter unam dispositionem & alteram pro exclusione repetitionis; Verum inane opus credebam de hoc agere, dum concurrentibus, tam regula, quam coniecturis in idem pro exclusione fideicommissariæ, quodque substitutio esset solum per vulgarem, ita expirata ut supra, res manebat longè magis plana & facilis.

Ve enim pluries in præcedentibus ac sequentibus, & alibi ad istam coniecturalem materiam adverteritur, magna differentia est inter casum in quo resistente regula in contrarium coniecturæ desideranda veniant pro eiusdem regulæ limitatione, & casum in quo coniecturis regula assistat, seu coniecturæ pro regulæ fomento & comprobatione concurrant; In primo enim longè maiores ac efficaciores desiderantur tanquam inductivæ probationis concludentis contra iuris præsumptionem ex regula resultantem, in altero verò quales quales sufficere videntur utpotè ad superabundantiam ac fomentum regulæ quæ sola sufficeret; Ideoque ubi duæ habentur viæ, una facilior & altera difficilior, imprudens consilium est, prima neglecta, alteram aggredi, Et sic concluderebam in hac facti specie contra substitutos ex primo motivo expiratæ vulgari ac cessantis fideicommissariæ.

## REATINA.

### FIDEICOMMISSI DE CLAVELLONIBVS.

PRO

#### FRANCISCO ANGELOTTO

CVM

#### FRANCISCA ANTONIA DE CLAVELLONIBVS.

*Causa decisus per Rotam pro Angelotto.*

Quando dicatur adesse fideicommissum particulare contradistinctum ab universali, & de effectibus ex hac inspectione resultantibus; Et àn prohibito alienationis restricta ad certa bona inducat fideicommissum particulare discretum ab universali, & quatenus non inducat, quos effectus dicta restrictio operetur.

### S Y M M A R I V M.

- 1 **F**acti series.
- 2 **F**œmina defectus masculis veniunt etiam in fideicommissio agnatio.
- 3 **F**ideicommissio particulari, non confecto inventario, non obstant detractio, & de ratione.
- 4 **Q**uod ex prohibitione restricta ad stabilia tantum resultet fideicommissum particulare.
- 5 **D**e requisitis fideicommissi particularis discreti ab universali.
- 6 **A**n prohibitio restricta ad bona stabilia causet fideicommissum particulare.
- 7 **Q**uos effectus causet dicta restrictio prohibitionis.
- 8 **Q**uando cessante etiam diversitate personarum detur in eisdem personis concursus duplicis fideicommissi universali & particularis.
- 9 **S**ecunda dispositio magis clara & ampliativa præcedentis non dicitur continere fideicommissum separatim.

### D I S C. CXXVIII.

**M**utius de Clavellonibus de anno 1569., instituit quatuor filiis masculis, iisque invicem substituit, in casu obitus absque filiis masculis legitimis & naturalibus, & de legitimo matrimonio natis, cum exclusione feminarum, ac etiam perpetua exclusione illegitimorum in tota descendencia quamvis essent legitimati, donec verè legitimi extarent; Per capitulum separatim, adjecta principaliter ratione (per verba præcisa) suam enim voluntatem esse, ut omnia ejus bona non exirent de agnitione & progenie, sed in ea perpetuo ad agnationis honorem conservarentur, strictissime prohibuit sub pena caducitatis omnem & quancumque alienationem bonorum stabilium.

Ex dictis quatuor institutis, solus Franciscus prolem suscepit masculinam, defectam in Antonio Francisco nepote, ex quo fuit superstes Francisca auctrix, quæ prætendens fideicommissi purificationem ad ejus favorem, iudicium instituit contra Angelottum possessorem aliquorum bonorum, vel per primum gravatum vel alios ex dictis descendentibus distractorum, Et introducta causa in *Rota coram Bourlemont*, datoque dubio, àn constaret de fideicommissio, & quali.

Non controvertebatur ex hac parte rei conventi fideicommissum universale, quoniam dicta ratio principaliter adjecta prohibitioni alienationis aliaque coniecturæ ex toto testamenti contextu resultantibus, illud nimis clarè convincere videbantur, Solumque dubitatio oriri poterat super comprehensione femine auctricis, stante perpetua exclusione feminarum, quodque, tam in dispositiva, quam in conditionali fiebat sermo de masculis; Verum incongruum reputatum fuit hujusmodi quaestionem afferre, Tum quia præsertim in *Rota & Curia*, satis hodie receptum est, ut sub generali vocabulo descendentium seu agnationis & progeniei, cessante eo cursu masculorum, veniant etiam femine, quæ licet agnationem non propagent, illamque ad posteritatem non transmittant, attamen ipsæ sunt agnatæ ex deductis *der. 133. par. 9. rec. decif. 40. post Censal. ad Peregr. & in alijs*, ac habetur nimis frequenter in præcedentibus in materia concursus feminarum & àn & quando masculinum

Ce 3

con-